

opponatur. *Artificialis* (nonnullis quoque à causa & effectu naturali naturalis dictus) est tempus, quò Sol arcum suum diurnum percurrens, diem nobis fugatis tenebris advehit. Hic verò uti nocti opponitur; ita Auroram nostram tanquam primam suam partem blandè complectitur. Sed nec hoc citra dubium dici potest. Artificialis enim diei initium ex Astronomorum mensura est, quando Sol supra Horizontem corpus suum advolvit. Ita verò ad noctem referri deberet, siquidem eò adhuc tempore Sol infra Horizontem latet. Imò nonnullis propter hanc rationem inter noctis partes Aurora numerata est. Vid. *Crusius de nocte & noct. offic. c. 3. p. 84.* Verùm si diem Physicè, non Astronomicè, dimetimur, hoc est, si lumen diurnum, continuum omninò, nec ob Solaris corporis in Horizonte præsentiam vel absentiam realiter à se discretum, pro die habemus, nocturnis *Auroram* injuriis eximere possumus. Sol enim, licet non *subjectivè*, tamen *effectivè* adest. Et cum idem Materiale per naturam, Solare nimirum lumen, *Aurora* cum die habeat, cur non idem Formale ab arbitrio nostro, aut idem nomen accipiat? Indè *Feldenus* recentissimè, licet diem artificialem per moram Solis supra Horizontem & noctem per Solis infra Horizontem latentiam definiat, Auroram tamen primam diei partem nobiscum vocat, p. 3. *Compend. Sphæ. Doctr. c. 2. n. 21.* Imò quòd secundum *JCos* in capite de pœnis, id quod dicitur fieri mane vel sub Aurora, de die fieri censeatur. Plures ex illo foro testes adducit & sequitur *Everardus in Topicis c. 19, in loco à Contrariis.* Præterea quoque, fatente *Kyperò Instit. Phys. c. 12. Lib. IV. §. 2.* partes diei non Astronomicè & prorsus accuratè; sed populariter ita determinatæ sunt. Terminus ejus est exortus Sol, quando corpus suum supra Horizontem præfens sistit. Nimis enim populariter *Cornel. à Lapid. Comment. in Proverb. Salom. c. 4. v. 18.* usque ad meridiem eam extendit. §. 4.

SCHEMA II.

Aurora principaliter oritur ab adveniente

SOLE.

Ἐξελιγμὸς

B

Συλ-